

peritissimos: a quibus facta est illa celeberrima sacrorum librorum interpretatio, quae Septuaginta Interpretum vocatur. Pracerat autem Ptolemaei bibliothecae vir factis et scriptis illustris, Demetrius Phalereus, quem Athenis pulsum rex benigne exceperat.

2. Romam primus librorum copiam advexit Aemilius Paullus, Perseo Macedonum devicto rege, cuius thesauros ne adspicere quidem dignatus est:—libros vero filiis suis, quia erant litterarum studiosissimi, asportandos permisit.—Deinde Lucullus e Pontica praeda plures congescit.—Nam reges Attalici, philologiae dulcedinibus induiti, egregiam bibliothecam ad communem utilitatem et delectationem Pergami instituerant.

Laudanda est Luculli impensa, et studium in libris: nam et multos, et optimos conquisivit, eosque liberaliter dedit utendos. Patebat omnibus bibliotheca, et in porticus ei adjectas, velut ad Musarum aedem, veniebant maxime Graeci, tempusque ibi jucunde inter se traducebant, ab aliis curis liberi. Saepe cum iis versabatur Lucullus, et inter magnam doctorum virorum turbam ambulabat.

In Tusculano quum essem, vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti: veni in ejus villam, ut eos ipse, ut solebam, inde promerem. Quo quum venissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum Stoicorum libris. Erat enim, ut scis, in eo inexhausta aviditas legendi, nec satiari poterat: quippe qui ne reprehensionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipsa curia soleret legere saepe, dum senatus cogeretur, nihil operae reipublicae detrahens; quo magis tum in summo otio, maximaque copia, quasi heluari libris, si hoc verbo in tam clara re utendum est, videbatur.—Tum ego Catoni: *Certe, Cato, totam hanc copiam jam*

---

Isidor. lib. 6. Plutarch. Aemil. p. 270. T. 3. — Vitruv. lib. 7 praef. — Plutarch. Lucul. p. 519. T. 1. Cic. Fin. 3. 2.